

+ ^{a)} In nomine dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi, amen. Fredericus^{b)} divina favente clementia rex Siciliae, ducatus Apulie et principatus Capue. Cum regnantis pietas regis reverentia regum omnibus compellatur se tribuere favorabilem^{c)} manusque universis teneatur benignius porrigere^{d)} largitatis, illis personis et locis debet potius^{e)} charitatis perfecte plenitudinem impartiri, que deo^{f)} dicata sunt penitus et subiecta, et tanto ipsis sincerius respondere pro meritis ipsaque beneficiis ampliare, quanto in illis propitius pro largientibus pariter et fundatoribus preces domino supplices assidue porriguntur deoque purissime ab eisdem^{g)} in singulis diebus^{a)} servitur^{h)}. Inde est igitur, quod venerabile monasterium Floris tanto ardentius tenemur diligere et condignis beneficiis ampliare, quanto benignius et devociusⁱ⁾ felicissimi quondam augusti dominus serenissimus imperator pater noster et domina gloriosissima imperatrix mater nostra dive recordationis ipsum monasterium divino intuitu construere bonisque, que possidet, dotare corde purissimo studuerunt. Hac itaque iusta consideratione inducti, attendentes etiam honestissimam vitam sanctamque ipsius ordinis Floris conversationem, quam^{k)} tu, Matthee venerabilis abbas et universi conventus predicti monasterii fideles nostri in domino geritis et observatis, pro remedio quoque animarum predictorum quondam parentum nostrorum de innata nobis liberalitate concedimus et confirmamus vobis^{l)} et successoribus vestris in perpetuum ecclesias Butrani cum omnibus iustis tenementis et pertinentiis suis iuxta excambium, quod inde cum ecclesia Cusentina de tenementis vestri monasterii contraxistis et secundum privilegium domini pape exinde vobis factum necnon sicut in vestris scriptis authenticis plenius continetur, tenendas et pro utilitate vestra quiete et pacifice omni tempore possidendas absque ullius contrarietate et alicuius exactione servicii. Concedimus et donamus et, quod^{m)} vobis et vestris utilitatibus plurimum esse necessarium comperimus, divine charitatis intuitu in perpetuum vobis et vestris successoribus confirmamus tenementum terrarum, quod dicitur Bayrani, quod est iuxta prefatas ecclesias Butrani cum iustis tenementis et pertinentiis suis tenendum omni tempore, ex quoⁿ⁾ vestro comodo absque contrarietate aliqua possidendum. Confirmamus vobis preterea omnia tenimenta, possessiones, libertates quecumque et ubicumque, dono videlicet pontificum et felici-

I. a) *fehlt l* b) *Fridericus l* c) *l, favorabile M* d) *l, porrigere M*
 e) *potius l* f) *l, de eo M* g) *eiusdem l* h) *deservitur l* i) *devotius l*
 k) *l, qua M* l) *vobis - subscriptis fehlt l, dafür et caetera, quae sequuntur*
 m) *quda M* n) *pro M*